

rogationibus, multorum confessiones incompletae manerent, neque communi malo remedium afferetur. Attamen ejusdem responsi tenor satis indicat in hoc interrogandi officio plures dari exceptiones. Quare cum AA. optimis et recentissimis (Ball. P. n. n. 448 ; D'Annib, III. n. 469. nota 9) existimamus hic quoque applicari posse regulas generales de interrogationibus et monitionibus, datas n. 358 seqq., ideoque poenitentes a bona fide non esse deturbandos, quando satis liquet unicum fructum fore animarum perditionem. Neque talis praxis communi bono nocebit : nam pauci in errore vere invincibili de malitia onanismi versantur, cum in iis regionibus in quibus tam late invaluit ille abusus, passim tum libris, tum ephemeridibus pessimus ille mos vituperetur. Ceterum huic malo, quatenus praecise commune est et ipsi reipublicae, propter magnum onanistarum copiam, perniciosum, medendum est potius publicis scriptis et reprehensionibus, quam monitis confessariorum. Hi enim, imprimis singulorum poenitentium animae prospicere, neque eos maximo detrimento quod e desertis sacramentis passuri sint exponere debent, nisi ex omissa interrogatione vel monitione de peccati hujus gravitate praevideatur secuturum magnum commune damnum, utputa si passim omnes ex absolutione publico onanistae data in hoc malo patrandi confirmarentur.

2º Quandoque occurrunt poenitentes qui monenti confessario iterum iterumque respondent se non posse in animum suum inducere mortalem onanismi reatum, praesertim quando gravissimas causas habent abstinendi a copula, puta quia medicus declaravit vel experientia ostendit novum partum fore valde periculosum uxori, jam liberis onustae ; ipsi autem, ad venerea valde propensi, actibus imperfectis contenti esse moraliter nequeant. Cum hujusmodi hominibus, praesertim si ex reliqua vita sat boni christiani esse dignoscuntur, prudenti dissimulatione uti posse confessarium opinamur. Sicut nequit onanismum tunc positive permittere, ita ab eodem sub poena denegandae absolutionis huic homini interdicens abstinere posse videtur.

3º Quo planiorem viam sternat iis qui ob gravia obstacula a copula rite perficienda adhorrent, eos prudenter moneat non esse ipsis omnimodam castitatem cum uxore servandam, sed licere actus imperfectos, prout supra expositum est. (n. 546) Id tamen non est extendendum ad ipsam copulam incipiendam et, antequam proximum sit pollutionis periculum, abruptam : nam generatim multo minore pugna resistetur concupiscentiae qua conjux ante copulam urgeatur, quam desiderio pollutionem perficiendi post abruptam copulam. Non est tamen fides deneganda iis qui interdum se contrarium expertos esse perhibent.

4º Nihil graviter pravum agunt conjuges qui, spe vitandae prolis numerosioris, a copula abinent eo tempore quo, e quorundam senten-

tia, major est fecundationis probabilitas, vid. quattuordecim diebus integris a coepta menstruatione ; neque prohibetur confessarius quominus eam praxim caute insinuet conjugibus quos frustra alia ratione ab onanismo retrahere tentaverit. (S. Poenit. 16 Jun. 1880 ; Buccer. Enchir. p. 245) Id tamen raro a confessario innuendum censemus, quia hanc partialem abstinenciam inefficacem esse ad finem intentum certo obtinendum, experimento comprobatur. (Eschbach, op. cit. p. 81 ; Surbled p. 55 seqq. ; von Olfers, p. 70) (1) Igitur si quando sperat confessarius consilio isti obtemperaturum esse onanistam, hanc praxim proponat tantum ut medium quo, juxta multos peritos, minuat fecundationis probabilitas. Ceterum non solent onanistae huic consilio multum fidere.

5º Omnes onanistas ad fiduciam majorem in divina Providentia erigat confessarius : apud multos enim haec infanda consuetudo potissimum e timore inopiae vel angustioris fortunarum condicionis oritur. Eos qui reatum onanismi in dubium vocare videntur, breviter doceat quomodo adversetur primario fini matrimonii, et potissimum jubeat perpendere quantum animae suae noceant dum praxim crebro et aperte ab Ecclesia damnatam amplectuntur. Quandoque etiam utiliter innuet medicos nimis prope mortem ex praegnatione secuturam praecinere mulieri, quae (ut interdum contingit) felicem partum postea enititur. Vix quidquam proficiet allegando mala quae ex onanismo in universam societatem fluunt, vel detrimenta quae saepe, ex hac violenta naturae inversione, patitur utriusque conjugis valetudo : haec enim, quamvis verissima sint, non deterrebunt ab hac perversa consuetudine conjuges qui gravis peccati timore ab eadem retrahi nequeant. (2)

§ 4. DE OBLIGATIONE DEBITI CONJUGALIS.

552. I. Uterque conjux obligationem habet, natura sua gravem, reddendi debitum comparti quae illud tam serio et instanter petit ut pateat eam non nudum desiderium manifestare, sed jus suum urgere velle.

(1) Testatus est mihi peritissimus medicus se viginti quinque annorum experientia ad hanc persuasionem ductum esse : quolibet tempore aequalem esse fecundationis probabilitatem. Atque etiam ii physiologi qui quindecim dies a coepta menstruatione magis aptos esse conceptioni existimant, fatentur aegre per experientiam aliquid prorsus certi de hoc argumento in specie humana colligi posse, cum tam obscurum esse soleat a qua praecise copula secuta sit impraegnatio. (Béclard, op. cit. p. 662)

(2) De his videsis Dr. Bergeret, *Des fraudes dans l'accomplissement des fonctions génératrices, causes, dangers et inconvénients pour les individus, les familles et la société, remèdes.* (Paris, 1877)

Haec obligatio manifeste sequitur ex essentia contractus matrimonialis (n. 455), ideoque ad justitiam spectat. Potest autem seria petitio etiam tacite fieri, praesertim ab uxore quam generatim pudet expresse petere.

Probabilius tamen non peccat graviter qui saepe petenti una vel altera vice debitum denegat, secluso semper incontinentiae periculo : quia talis denegatio, e communi aestimatione, levem tantum injuriam infert. (Sanch. l. 9. disp. 2. n. 11 ; Ball. P. n. 646) Hic quoque cavendum ne frustra bona fides perturbetur : mulieres enim jam vetulae vel numerosa prole onustae, saepe putant se, negato debito, non peccare graviter nisi semper vel quasi semper negent, et nisi sciant virum ex denegatione in peccatum labi ; insuper saepe neque viri ita instanter petunt ut graviter inviti negationem patiantur. (Frassin. Th. Mor. II. nota 177) Ceterum confessarii munus est generatim mulieres impellere ut libenter viris praestent copulam et quaecumque inter conjuges licent, neque, falsa devotione delusae, in his morosas se praebeant : si enim difficiles fuerint, plerumque timendum est ne viri ad alias gratiores tendant.

II. Neuter conjux per se tenetur debitum petere : nemo enim jure suo per se uti tenetur. Per accidens quandoque talis obligatio oriri potest, praesertim ex caritate, vid. si conjux advertit compartem in imminente periculo incontinentiae versari. Supponitur hic nullam etiam tacitam petitionem intercedere : hac enim intercedente, jam obligatio ex justitia adesset.

553. III. Conjux excusatur a debito reddendo comparti, etiam serio et instanter petenti :

1° Si compars jus petendi amisit ob adulterium (n. 556) vel ob incestum. (n. 482, IV)

2° Si debitum petitur cum aliqua circumstantia quae ejus redditionem graviter vel leviter peccaminosam reddat, puta in loco publico, cum certo periculo abortus, modo sodomitico, etc. Nemo enim obligari potest ad peccandum. Probabilius manet reddendi obligatio si culpa se tenet tantum ex parte personae exigentis, vid. si petens ligatur voto castitatis, si praevidetur fore ut vir se retrahat : nam cum id quod ab altera parte exigatur, sit omnino licitum, petens jus suum urget, cui satisfaciendum est, perinde ac si creditor debitum posceret, pecuniam in malum finem impensurus. (Ball. P. n. 653) Nihilominus contrariae sententiae sua probabilitas negari nequit, praesertim quia a S. Alph. (nn. 944. 947) expresse agnoscitur.

3° Si compars immoderate petit. Immoderata profecto erit petitio si copulae petitae frequentia periculum sanitati alterius partis illatura praevidetur : qua de re, in dubio, medicum consulere juvabit, cum non

ita facile liqueat. Potest etiam immoderata esse petitio ubi nullum sanitati damnum timetur, nempe si excessus manifestus apparet in petente, utputa quia jugiter libidinis desiderio abripitur, vel magna molestia creatur alteri parti. Sed vix determinari potest quis petitionum numerus modum excedat, nisi omnem modum excedat, ex. gr. ter quaterve eadem nocte.

Ceterum non solent viri, multo minus uxores, modum excedere in petendo debito nisi primis a contracto matrimonio mensibus : quo tempore etiam exigua erit difficultas moralis, seu quia vir rarius jus strictum urgere intendet, seu quia modeste deprecanti uxori libenter annuet.

4° Si petens usu rationis caret, sive ob amentiam, sive ob perfectam ebrietatem. Nam ut obligatio inducatur, necesse est ut jus actu humano urgeatur. Insuper ex copula cum ebrio vel amente habita periculum est ne proles hebes, fatua, vel surdo-muta nascatur. (Capellm. p. 158 seqq.) Periculum istud certe gravius fit ubi vir habitualiter ebrietati deditus est. Si cum homine actu tantum ebrio habeatur copula, quidam (von Olfers, p. 69) periculum omnino abesse putant : quod tamen alii medici falsum putant.

5° Si ex copula grave damnum vel periculum, quod reddenti vel proli immineat, merito timetur. Ideo excusatur conjux cui ex copula immineat gravis infirmitas, vel quae parere nequeat sine probabili mortis periculo. (S. Alph. n. 953) Idem dicendum si maritus morbo contagioso laborat, nisi tamen hic ante matrimonium fuerit cognitus et non sit nimis gravis. (Bus. ap. S. Alph. n. 950) Sic etiam, saltem ad tempus, a debito reddendo excusaretur pars quae reddere non posset sine infamia, vid. ob patefaciendum morbum venereum. Attamen ratio excusans non est quod uxor semper edat foetum mortuum, nisi simul ipsa in probabile mortis periculum conjiciatur : nullum enim verum damnum proli infertur. (S. Alph. n. 953)

6° Si vir culpa sua uxorem et sobolem in summa egestate relinquit, ex. gr. dum stipendium potu excessivo profundit. Ipse enim sibi imputare debet hanc denegationem, a qua non videtur recedendum esse ob periculum incontinentiae, quod et ipsum voluntarium est. Neque deest sua probabilitas sententiae quam plures AA. graves tuentur (Sanch. l. 9. disp. 25. n. 3 ; Bus. ap. S. Alph. n. 945) : universe justam esse negandi causam, secluso periculo incontinentiae utriusque, si plures nascantur filii quam conjuges possint alere : nam etiam hic timetur grave damnum uxori et proli jam natae. Sed raro ista sententia in praxim deduci poterit, quia plerumque ex absoluta denegatione periculum incontinentiae oriatur.

554. IV. Ex obligatione debiti reddendi et ex individua vitae societate quam matrimonium inter conjuges inducit, sequitur pro utroque obligatio natura sua gravis **mutuae cohabitationis**. Attamen non eodem modo virum et uxorem idem officium adstringit.

1° *Uxor*, cum sit marito subdita (Vol. I. n. 353), domicilium mutantem sequi debet, etiamsi nulla causa necessaria aut justa maritum ad hanc mutationem impellit. Contraria autem consuetudo, utpote juri divino opposita, reprobanda est. (Sanch. l. 1. disp. 41. n. 3) Excipe tamen: *a*) si ante matrimonium inter utrumque convenerit domicilium mutatum non iri, neque improvisa causa mutationis supervenerit; — *b*) si vir ob turpem causam domicilium mutaret, puta ad impuros amores fovendos: conjux enim non tenetur ejus peccato cooperari; — *c*) si uxor per mutationem exponeretur probabili periculo gravis detrimenti, praesertim vitae. Attamen, si vir justam causam migrandi habeat, puta quia in regione sua inopia magna laborat, prudenter pensanda erit utilitas vel necessitas migrationis cum detrimento quod uxorem maneat si virum sequatur, quod autem praevaleret eligendum erit. (Ball. P. n. 640)

Virum vagum non tenetur uxor sequi, nisi hunc vagandi morem jam ante matrimonium cognovisset ideoque ad id se implicite obligasset, vel si vir vagaretur vera necessitate coactus, non autem ob meram delectationem vel utilitatem. Virum qui alio se transfert ad breve tempus, non tenetur sequi uxor; tenetur vero, si alibi commoraturus est diutius et ex justa causa. (Sanch. l. c. n. 11)

2° *Maritus* uxorem alio migrantem vel hinc inde discurrentem sequi non tenetur, nisi quando haec migratio vel peregrinatio fit ex causa necessaria. Ipse enim non tenetur sequi ut subditus, sed tantum ne uxorem immerentem privet usu juris ad communem vitam et copulam conjugalem. (Ball. P. n. 642)

CAPUT VIII.

DE DISSOLUTIONE MATRIMONII.

§ 1. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII FIDELIUM QUOAD VINCLUM.

555. I. Nulla auctoritate, etiam R. P., nullamque ob causam, etiam adulterii, solvi potest, quoad vinculum, **matrimonium fidelium consummatum**. Hanc catholicam veritatem adversus haereticos sui tem-

poris defendit Conc. Trid. (Sess. 24. can. 7. de Sacr. Matr.), et solent demonstrare Dogmatici.

II. Matrimonium ratum fidelium, quamvis ob nullam causam intrinsicam quoad vinculum solvi possit, duplici tamen in casu dissolvitur:

1° *Ipsa jure in professione religiosa sollemni*. Ita definivit Trid. (l. c. can. 6): " Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. " Effectum hunc quidam DD. ex Jure divino repetunt; sed longe communior et probabilior sententia illum adscribit Juri mere ecclesiastico, tamquam peculiarem effectum generalis illius potestatis quam statim dicemus R. P. inesse. Ratio praecipua est: sollemnitatem voti, quae ad hunc effectum producendum necessaria est, a solo Jure ecclesiastico repetendam esse (n. 84), ac proinde vix explicari posse quomodo hic effectus voto sollemni adnexus esset jure divino. Propter hoc professionis religiosae privilegium statuit, Alexander III (3. Decr. t. 32. c. 7) bimestre concedendum esse ei qui, contractis et non consummatis nuptiis, de ingressu in religionem deliberat, ut statuatur quid agere velit. Hinc S. Alph. (n. 958) cum pluribus Theol. conclusit (quo jure, ipsi viderint) quemlibet conjugem licite posse intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi religionem, quia utitur jure suo. Cfr. n. 513.

Ex eodem privilegio deducitur licitum esse alterutri conjugum religionem ingredi, etiam invita altera parte, quamdiu matrimonium non est consummatum. Ubi vero libere consummatum est, jam nequit alterutra pars religionem ingredi nisi altera pars consentiat, vel per adulterium aut haeresim perpetuae separationi causam dederit. Cfr. Piat. Prael. J. Reg. I. p. 51 seqq.

2° *Speciali dispensatione ex gravi causa per R. P. concessa*. Hanc potestatem R. P. inesse plures veteres DD. negarunt; apud S. Alph. (n. 959) dicitur adesse duplicem sententiam probabilem. Verum hodie tam manifesta est praxis S. Sedis tales dispensationes concedentis, ut nullus catholicus scriptor jam neget vel negare possit hanc potestatem comprehendendi universali facultate ligandi et solvendi quam Christus Petro ejusque successoribus tribuit.

§ 2. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII FIDELIUM QUOAD TORUM ET COHABITATIONEM.

556. Catholica doctrina est " ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve